conjuges ſe cognoſcerent, non peccarent peccato fornicationis, ſicut inter ſolutos, ſiquidem vere habent poteſtatem in ſua corpora adinvicem, licèt ex pacto initio de caſtitate ſervanda impedita, ſed ſolùm peccato ſacrilegii contrà promiſſionem, & votum, & ſi quis eorum cum extranea perſona copulam haberet, nõ delinqueret ſolùm ſimplici fornicationis peccato, ſed etiã peccato adulterii contrà fidem matrimonii jam cum ſuo conjuge cõtracti, nec habet ſui corporis poteſtatẽ, quam illi jam tradidit; Et demùm facit, ut neuter eorum poſſit altero ſuperſtite ad alias nuptias tranſire, & aliud matrimonium contrahere, ſiquidem non eſt liber, & ſolutus, ſed verè priori vinculo matrimonii eſt ligatus; poteſt ergo verum eſſe matrimonium cum illa conditione, promiſſione, & voto inter conjuges nunquam coeundi, nec utendi illa poteſtate, & dominio, quod ſibi invicem in propria corpora tradiderunt, nec adhuc illud dominium ſic impedimentum eſſet prorſus fruſtatorium, & inutile quia adhuc hoc non obſtante certos quoſdam haberet effectus.

109 Hinc patet ad Fundamentũ primæ ſententiæ, ſolùm enim probat, in matrimonio acquiri mutuum dominium in corpora cõtrahentium, ut ſine fornicationis peccato poſſint invicem conjungi, & filios procreare, item ex vi contractus conjuges implicitè, & virtualiter conſentire in copulam, non autem ex parte contrahentium, modo jam explicito, atque ideò conjugem teneri haberi animum non negandi debitum, ſi juſtè exigatur; at cum hoc benè ſtat, quòd poſſit talis dominii uſus eorundem contrahentium volũtate, & conſenſu impediri, & quòd ſimul ſe obligent debitum nõ exigere, atq; ita nõ poſſit juxtà debitũ exigi, impedito uſu dicti dominii Et hoc modo declarat Doctor *d.3.cit.q.2.ar.2.* quomodo B. Virgo verè cum S. Joſeph matrimonium contrahere potuerit, non obſtãte Virginitatis voto, quod præmiſerat, non tantùm conditionato, ſed etiam abſoluto, quia inquit, in contractu matrimoniali eſt mutua datio corporum ad copulam carnalem, non niſi ſub conditione implicita, ſcilicet, ſi petatur, undè contrahentes cum propoſito ſtatim vovendi caſtitatẽ verã contrahunt, neque illa conditio præjudicat voto caſtitatis, poſito etiam contractu matrimonii, niſi illa cõditio ponatur in effectu, atque ideò ibi eſt certitudo ſimpliciter quòd nunquam ponetur in effectu, ibi in nullo prejudicat voto caſtitatis contractus matrimonii, & quia B. Virgo talem habuit certitudinem, quòd illa conditio non ponereretur in effectu ob ſpecialem revelationem ei à Deo factam, ideò validè potuit contrahere ſine ullo præjudicio voti caſtitatis; ita duſcurrit ibi Doct. de matrimonio B. Virginis, unde in ſolutione ad ultimũ in fine quæſtionis concludit, quòd conſenſus ejus in contractione matrimonii cum Joſeph fuit in traditionem mutuę poteſtatis corporum ad prolem procreandam, & per conſequens in uſum, ſi petatur, ſed hic fuit certitudo, quòd nunquam uſus iſte à conjuge peteretur; Ex qua doctr. patet, non tantùm non eſſe de ratione matrimonii, ut habeant cõjuges intentionẽ reipſa exercendi copulam, ſed nec etiam contrahẽdi abſoluta obligationẽ habẽdi copulã, ſed tantùm ſub conditione implicita, ſi petatur, cum qua voluntate conditionata poteſt ſtare voluntas abſoluta, ſeù obligatio, & pactum nunquam habendi copulam ſine ullo prorſus præjudicio matrimonialis cõtractus, unde mulier contrahendo matrimoniũ nõ obligatur ad carnalem copulam, niſi vir petat, quare toto tempore vitæ ſuæ mulier poteſt nõ petere, obligatur tamen, & tenetur reddere, ſi requiratur à viro.

110 Ad Confirm. ibi D. Aug. ſolùm innuere voluit, in matrimonio acquiri à contrahentibus mutuum dominium in corpora ſua in ordine ad copulam carnalem, quia ratio matrimonii conſiſtit in tradendo tantùm jus, & poteſtatem ad copulam, quod ſi etiam innuere voluit, conſenſum conjugalem eſſe de habenda copula carnali, ſaltem implicitè, & virtualiter, hoc intellexit de conſenſu implicito, ut ſe tenet ex parte contractus, non autem ex parte contrahentium juxtà diſtinctionem conſenſus impliciti à tertia opinione media aſſignatam, quam etiam ipſe D. Auguſt. expreſſe indicavit ut habetur in *cap. Beata Maria 27.q.2.* ubi loquens de ejus matrimonio cum S. Joſeph ait: *Beatam Virginem conſenſiſſe in copulam carnalem ſcilicet, implicitè, & ſecundum id, quod ſpectabat ad contractum, abſque tamen ullo propoſito actualis copulæ, cùm tamen de illo fuerat certificata*, & dicere voluit, etiam in radice, & cauſa habuiſſe conſenſum ad copulam, conſentiendo in matrimonium; quod de ſe ad eam ordinatur, non autem per alium ulteriorem actum ipſius explicitum, vel implicitum, in quo ſenſu nos etiam concedimus, conſenſum conjugum ferri debere in copulam implicitè, & virtualiter & talem conſenſum ad eſſentiam, & integritatem matrimonii ſpectare; & in hoc tandem ſenſu concedimus, finem matrimonii principalem, & à contrahentibus implicitè ſaltem, & virtualiter intentum eſſe prolis procreationem, quia conſentiendo in matrimonium, conſequenter etiam conſentiunt in copulam, ad quam matrimonium de ſe ordinatur.

111 Ad ultimum Pontifex in eo *cap. ult. de Condit. appoſit.* intellexit, conditionem additam de evitãda, ſeù impedienda generatione, habendo tamen copulam, quæ conditio eſt contrà ſubſtantiã matrimonii, eſſentiale enim eſt matrimonio, ut conjuges ſubeant obligationẽ non impediendi prolẽ in copula conjugali, & educãdi naſcentem, undè ſi contrahentes haberent animum ſe ad id non obligandi, aut obligandi ſe ad oppoſitum, ſcilicet, ad ſumenda venena pro ſterilitate, ne concipiatur proles, aut enecandi naſcentem non conficerent matrimonium, qua abſque tali obligatione nequit matrimonium conſiſtere; hæc autem conditio, vel pactum inter conjuges de non habenda copula, & caſtitate ſervanda ſubſtantię matrimonii non repugnat, ut ſuprà probatum eſt, neque bono prolis, hoc enim conjuge non obligat, ut dent operam generationi, aut non obligent ſe ad non dandam ei operam, ſe ſolùm, ut dùm matrimonio utuntur, ejus generationem non impediant, ſterilitatem procurando, vel alio modo, & ut ſi naſcatur proles, alatur, & Chriſtianè educatur.

Dices, matrimonium eſſentialiter cõſiſtit in mutuo jure, ac obligatione petendi, ac reddendi debitum, ſed hęc conſiſtere nõ poſſunt cum tali obligatione ex pacto inter conjuges nunquam habẽdi copulam; ergo matrimonium cum hac obligatione nequit validè contrahi. Reſp. Coninch. *diſp. 24. dub. 4. n. 47.* majorem, ut ſit vera, debere intelligi de jure, & obligatione remotis, quæ in ipſo mutuo corporum dominio includuntur, & talis obligatio, ac jus poſſunt conſiſtere cum pacto, ac obligatione nunquam reddendi debitum, ut patet de conjugibus voventibus mutuo conſenſu caſtitatem, & eo ſenſu inquit, negandam eſſe minorem; Sed potiùs abſolutè neganda eſt major, quòd matrimonium eſſentialiter conſiſtat in obligatione abſoluta exercendi copulam, cõſiſtit enim in mutua traditione, & acquiſitione dominii corporum contrahentium in ordine ad copulam carnalẽ, & quia optimè fieri poteſt, ut quis habeat, & retineat dominium rei, & tamen promittat, ac ſe obliget non utendi tali dominio, ideò poteſt etiam optimè intelligi, ut ſalvo prędicto corporum dominio contrahentes invicem promittant nũquã illo dominio uti, & nũquam ad actum, & exercitium ejus devenire, & quamvis conjux habeat obligationem reddendi debitum, & habendi copulam carnalem; hæc tamen obligatio nõ eſt abſoluta, ſed conditionata, nimirùm ſi petatur, cum qua obligatione conditionata poteſt ſtare obligatio quoque abſoluta de nõ reddendo debito, ſi votum præceſſit, vel pactum inter conjuges de caſtitate ſervanda, quia ut idem Coninch. advertit *loc. cit.* nec fides matrimonii exigit, ut conjugi quacunque ratione petẽti debitum reddatur, ſed ut reddatur debitũ debitè exigenti, propoſito autem tali pacto, ſivè antè ſivè poſt contractum conjux indebitè exigit copulam, quarè alter non tenetur ei obſequi, unde talis eo caſu revera debitum non petit, ſed indebitum, ideòque etiam alter non tenetur ei reddere.

112 Ad Fundamentum ſecundæ ſententię patet etiam ex dictis, probare tantùm, ad matrimonium conſtituendum neceſſarium nõ eſſe, ut conſenſus implicitè feratur in copulam, accipiendo conſenſum, ut ſe tenet ex parte cõtrahentium, non autẽ ut ſe tenet ex parte contractus; quia contractus matrimonii ex natura ſua ad copulã ordinatur, undè eo ipſo, quòd contrahẽtes matrimonio cõſentiunt, conſequenter etiam in radice, & cauſa ad copulam conſenſum habuiſſe dicuntur, ad quam ex ſui natura matrimonium ordinatur; & in hoc ſenſu etiam B. Virgo dicitur, implicitè in copulam conſenſiſſe, nempè ſecundum id, quod ſpectabat ad contractum ex D. Aug. *loc. cit.* & ſic pariter in copulam implicitè cõſentiunt contrahentes matrimoniũ cum intentione ingrediẽdi Religionem antè ejus conſumationem; & ſic etiam gratis concedimus, cum tali conſenſu implicito in copulam compoſſibilem eſſe intentionem, & votum de caſtitate ſervanda, & copula nunquam exercenda ob rationem aſſignatam, cum Scoto loc. cit. quia ſcilicet, dominium ſeparari poteſt ab uſu, & exercitio illius, poteſt enim optimè fieri, ut quis habeat, & retineat dominium rei, & tamen promittat, ac ſe obliget, nõ uti tali dominio, ut patet in aliis contractibus, & adhuc magis declarabitur infrà *q. 5. ar. 1. n. 162. 163.*

QUÆSTIO QUARTA.

De libertate ad conſenſum conjugalem requiſita.

113 CONſenſum ad matrimonium requiſitum liberum eſſe debere, ideſt, à ratione deliberata profectum, jam diximus ab initio quæſtionis præcedentis nu. 75. nam alioquin conſenſus obligationem non induceret, cùm hæc ſit in contractibus effectus quidam deliberatæ rationis contrahentium; imò Scotus 4. diſt. 29. qu. un. art. 2. docet, liberum conſenſum ad matrimonium requiri non tantùm de jure humano, ſed etiam de jure divino; ut infrà dicemus, patet enim, quòd etiam in lege naturæ erat iſtud requiſitũ in contractu matrimonii, cùm enim Geneſ. 24. parentes vellent deſponſare Rebeccam, quærũt ejus voluntatem, *vocemus puellam, & quæramus ejus voluntatem*; illo autem tempore jus divinum naturale vigebat, & ita jus divinum promulgavit Adã dicens, *relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ*, hæc autem adhæſio fit per conſenſum liberum, quia non adhæret quis illi, quod invitò tenet; talem etiam conſenſum liberum à Deo fuiſſe inſtitutum in contractu matrimonii, teſtatur Chriſtus Mat. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, videndum igitur eſt in præſenti quæſtione, quæ, & qualis eſſe debeat libertas ad conſenſum conjugalem neceſſaria.

A R-

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ, & qualis eſſe debeat libertas ad conſenſum conjugalem requiſita.

114 DUplex libertas conſiderari poteſt; una dicitur à neceſſitate, quæ nimirùm opponitur omnimodæ neceſſitati, & determinationi ad unum, quo pacto actiones humanæ dicuntur liberæ ad differentiam actionum naturalium, quæ dicuntur omninò neceſſariæ, & hæc appellari ſolet libertas phyſica, qua fruitur ſola rationalis natura, eo quia uſum rationis participat; Altera dicitur libertas à coactione, quæ opponitur externo impulſui, & motivo, quo dicitur quis invitus conſentire, & cogi ad aliquid faciendum, quo impulſu actus redditur ſecundum quid involuntarius, ſalva adhuc phyſica libertate; quia ut docet Scotus *l. c. art. 1.* voluntas non poteſt cogi ſimpliciter ad actum volendi, quia tũc volens nollet, vel nollens vellet, ſed tantùm cogi poteſt ſecundum quid, metus ſcil. majoris mali, quàm ſit ille actus, unde quando aliquis minùs malũ eligit ad evitandũ majus, ut quando mercator vult merces in mare projicere, tanquam minùs malum, ut ſubmerſionem evitet, tunc in actibus ſuis eſt voluntarium, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, hoc eſt, mixtum cum involuntario, & libertas huic extrinſecæ coactioni, & violentiæ oppoſita libertas civilis appellari ſolet.

115 Certum eſt, libertatem primi generis, nempè phyſicam, quæ opponitur neceſſitati, & determinationi ad unum, ad cõtractũ matrim. neceſſariò requiri; ratio eſt, quia matrim. eſt cõtractus humanus, cujus objectum, & materia, circà quàm verſatur, eſt valdè gravis, nimirùm proprii corporis traditio ſub alterius poteſtate, ergo neceſſariò libertatem in contrahentibus poſtulat, non qualemcunq; ſed plenam, & perfectam, & ex plena, & perfecta deliberatione, & advertentia procedentem, ſine qua peccatum mortale eſſe nõ poteſt; Undè pueri, qui nondùm ad perfectum uſum rationis pervenerunt, inſani, & mente capti tempore, quo uſu rationis caretn, nõ poſſunt validè contractum matrim. celebrare ex defectu plenæ libertatis, quam dicimus requiri, & de furioſo definitur in *c. Dilectus* de ſponſalibus, & in lege *6. tit. 2. p.* 4. & in aliis juribus declarantur tales prorſus inhabiles ad alios humanos contractus, atq; ideò tantò magis ad illum, qui eſt de re graviſſima; dixit *tempore quo uſu rationis carent*, quia ſi defectus iſte matrim. jam contracto ſuperveniat, non dirimit illud, ut ait Fabianus Papa *32. q. 7. c. Neq; Furioſus*, aut ſi qui furioſi, & amentes non perpetuò careant uſu rationis, ſeù lucida interdum habeant intervalla, valeret ſanè matrim. eo tempore contractum, & ſtatu, quo ſunt mentis compotes, & habeatur ex *c. Quamvis 7. q. 1.* & ratio etiam ſuadet, quia tales eo tempore, quo uſu rationis, & libertatis pollent, nec ex natura rei, nec jure aliquo ad hoc cenſentur inhabiles, cùm tunc ſint ad alios humanos actus idonei: eſſet tamen illicitum jis contrahere, & id permittere; tum ob hujus ſacr. irreverentiam, tùm ob educandæ prolis periculum. Idem dicendum eſt de matrimonio tempore ebrietatis, aut formali contracto, nimirùm ſi in ſtatu ebrietatis contrahatur, aut tempore ſomni, prout interdum aliqui quaſdam actiones externas exercent, & locutiones, dùm dormiunt; in his omnibus eadem eſt ratio de matrimonii invaliditate; quia ſivè hoc, ſivè alio modo ſit homo rationis, & libertatis uſu deſtitutus, quamvis aliis horis alioquin mente conſtet, & uſu rationis polleat, tamen pro eo tempore non eſt habilis ad ſe obligandum, & ad contrahendum in negotio præſertim tàm gravi; Et hoc aſſerendum eſt, etiamſi antè ebrietatem voluntatem habuiſſent contrahendi ſivè formalem, & expreſſam, directè volendo matrimonium in ſeipſo, ſive ſolum virtualem, & in cauſa, ut ſi advertentes ex ſua ebrietate futurum eſſe, ut matrimonium contraherent, nihilominùs ſe voluntariè inebriaverint; ita Caſpenſis *diſp. 5. ſect. 1.* & Averſa *q. 4. ſect. 1.* dicentis, hunc eſſe communem omnium ſenſum, quòd in eo caſu non valeat matrimonium tempore ebrietatis contractum, etiamſi fuerit antè præviſum, & volitum, ſed omninò requiri actualem uſum rationis, & libertatis tunc, quando contrahitur.

Sed contrà hoc ultimum dictum objici ſolet, non videri neceſſariam in tali caſu actualem voluntatem contrahendi, ſed ſufficere virtualem, quia talis voluntas ſufficit, ut imputentur peccata, quę in ebrietate committuntur, ſi fuerunt præviſa, & hoc modo, virtualiter volita; ſic peccatum homicidii imputatur ebrio, ſi antè ebrietatem præviderit, ex ea ſecuturum homicidium, & nihilominùs liberè ſe voluerit inebriare.

126 Conf. quia ſic etiam valet ſuſceptio ſacram. ſi quis anteà illud deſideravit, & poſteà ei ſenſibus deſtituto conferatur, qua ratione Baptiſmus tempore ebrietatis, vel inſaniæ receptus validus eſt ratione voluntatis formalis, & expreſſæ antecedentis recipiendi illud, ergo idem dicendum eſt in propoſito de matrimonio. Demùm in matrimonio ipſo valet contractus per Procuratorem initus, vel per epiſtolam ob voluntatem habitam in conſtituendo procuratore, vel ſcribenda epiſtola, quamvis deindè principalis contrahens de hoc non ampliùs cogitet, & quamvis tempore ſequentis contractus ſomno, vel ebrietate oppreſſus inveniatur.

117 Nihilominus quamvis inſtantia aliquam apparentiam habere videatur, ſi tamen res benè perpendatur, diverſa eſt omninò ratio de matrim. & aliis exemplis in objectione adductis: nam in primis, ſi matrim. conſideretur in ratione contractus, certum eſt univerſaliter loquendo, humanos contractus non valere; niſi contrahentes ſint tunc, quando fiunt, rationis compotes; ergo id tantò magis in contractus conjugali aſſerendum erit, qua ratione etiam ſponſalia inter Fideles valida non cenſentur, niſi celebrentur tempore, quo promittentes ſunt præditi uſu rationis, & libertatis: Deindè ſi matrim. conſideretur in ratione ſacram. contrahentes non tantùm habent rationem ſuſcipientis, ſed etiam miniſtri, ut cõſtat ex anteà dictis; at loquendo univerſaliter de omnibus ſacr. eorum miniſter debet eſſe mentis compos, quando illud efficit, undè ſi quis anteà habuit animum baptizandi, & poſteà in ſomno, aut in ebrietate baptizet, nihil facit; nec eſt vera, & valida abſolutio, ſi quis anteà amentiam, vel ebrietatem confeſſionem audivit, & voluntatem abſolvendi habuit, & poſteà in amentia, vel ebrietate abſolvit, & ſic in aliis ſacr. ut patet ex dictis diſp. 1. de ſacram. in genere: hæc ergo generali ratione matrim. non valebit in tali ſtatu celebratum.

Hinc ad objectionem adductam neganda eſt paritas de matrimonio, & homicidio ebrietate ſecuto, benè enim ſufficit præcedens illa deliberatio, & libera voluntas de aliquo effectu præviſo, ſivè ſit ſe volitus, ſivè ſolùm in cauſa ad hoc, ut imputetur ad culpam, quia per ſe tenebatur homo ab illa cauſa abſtinere, ex qua ſecuturum talem effectum, nempè homicidium prævideat, quod de effectu matrimonii dici non poteſt; tùm etiam quia, nec etiam homicidium ipſum in ebrietate commiſſum imputatur ad culpam tempore, quo committitur, quia tunc non eſt actus humanus ex actuali rationis advertentia, voluntatis libertate procedens, ſed tantùm eo tempore, quo ebrietas liberè, & directè volita fuit, & ideò dicitur peccatum in cauſa commiſſum.

Ad Cõfirmationem negatur etiam paritas, quia plus omninò requiritur, ut validè ſacramentum conficiatur, quàm ut ſuſcipiatur, ad illud enim validè ſuſcipiendum ſufficit illa pręcedens, & non retractata voluntas, ſufficit illa prior intentio, & ut non ponat obicẽ; imò quoad Baptiſmum ſuſcipiendum in infantibus, & perpetuis ab initio amentibus non requiritur ulla voluntas; at conficiens, & conferens ſacramentum eſt agens per rationem, & intellectum, & per operationem humanam, ac proindè debet habere intentionem, quando illud ſufficit, & humano modo operari. Ad ultimum etiam In matrimonio ipſo ad illud validè cõtrahendũ ſufficit pręſens deliberatio ipſius procuratoris à ſuo principali jam liberè conſtituti; ſicut & in aliis contractibus, quoniam in tali caſu voluntas principalis contrahentis in conſtitutum ab ipſo Procuratorem cenſetur quodamodo translata; omninò etiam requiritur, ut & ipſe principalis in procuratore conſtituendo, & procurator ipſe in contractu poſteà celebrando, ſint ambo tunc temporis in illis actionibus mentis compotes, & ratione, ac libertate utentes, ita reſpondent Sanch. Averſa, & plures aliis.

118 Hanc ſolutionem, & doctrinam, tanquam inſufficientem impugnant Ponce *lib. 4. c. 1.* & Caſpenſis *diſp. 5. ſect 1.* etiamſi aliàs ei placuerit, quia per eam inexplicatum manere videtur, cur in ebrietate maneat virtualis intẽtio, ut conſtat in eo, qui antè Baptiſmum voluit baptizari, & eadem virtualis intẽtio, ſi manet in ebrietate, non ſufficiat pro matrimoniii contractu. Confir. quia quamvis verum ſit illud diſcrimen inter ſuſcipientem, & adminiſtrantem ſacramentum, quod ſuſceptio non ſit humana actio, adminiſtratio verò maximè, ac proindè debeat eſſe ex deliberatione profecta; tamen non videtur verum debere ſimul cum verbis concurrere actualem conſenſum, quia ſufficit virtualis, ſive ad rationem contractus; ſivè ad rationem ſacramenti, ut ſuperiùs dictum eſt, & conſtat in Sacerdote conſecrante; licèt enim non adſit actualis intentio in conſecratione, adhuc conſecratio tenet, ſi intẽtio pręceſſit, eo quòd aliis mediis actionibus, quæ ex illa expreſſa intentione præcedente oriuntur, virtute continuatur; Et idem eſt in contractu, ad quem tantùm requiritur actio humana, quæ cum intentione virtuali eſſe poteſt, ut conſtat: quare aliam ſolutionem aſſignant cum Vaſq. *diſp. 5. cap. 3.* quæ apud ipſos videri poteſt, & non eſt melior ſanè, quàm ſit noſtra, ſed benè valdè obſcurior, utpotè ex principiis obſcurioribus dependens.

119 Hæc autem nova inſtantia facilè ſolvitur ex dictis *diſp. 1. de ſacramentis in genere q. 7.* quæ, & qualis intentio requiratur in Miniſtro ad ſacramenti valorem, imò ibidem *ar. 2. nu. 283.* eam in terminis adduximus, & explicavimus, quænam ſit intentio ſaltem virtualis ad ſacramentum validè conficiendum in Miniſtro omninò neceſſaria, & quomodo differat ab intentione habituali, & interpretativa, quæ licèt ſufficiat ad merendum, & demerendũ, & ſacramentum ſuſſiciendum non tamen ad ſacramentum validè cõficiendum, quia talis voluntas, & intentio non eſt humana, & libera ſecundum ſe, qualis debet eſſe actio ſacramentalis, ſed tantum eſt libera, & humana in cauſa, & diximus pariter, majorem intentionem requiri in baptizante, quàm in ſuſcipiente baptiſmum, quia ex parte ipſius ſolùm requiritur, ut diſpoſitio, & cõditio per quam ſuſcipiens intelligatur non repugnare ſacramento, nec

Mm pone-

M[ed]. in Quart. Sentent.

+ Somni

ponere obicem, undè ad hoc ſufficit voluntas, vel intentio virtualis latè ſumpta, prout coincidit cum interpretativa, imò quandoque nulla, ut patet in parvulis, talis autem intentio nō ſufficit in Miniſtro ad ſacr. conficiēdum, ſed ad minùs requiritur intentio virtualis propriè dicta, & ſtrictè ſumpta, quia quis benè mentis compos actuali ſolùm aliqua cogitatione diſtractus actionē intēta exercet, & ideò eſt adhuc actio humana, & libera ſecundùm ſe, & non tātùm in cauſa; undè omninò falſum eſt, quòd in ebrietate maneat virtualis intentio propriè dicta, qualis ad valorem ſacr. requiritur, nam manet tantum intentio virtualis latè ſumpta, prout cum interpretativa coincidit, quæ utiq; ſufficit ad ſacr. ſuſcipiendum, nō tamen ad illud efficiendum. Ad Conf. patet ex eadem doctrina, nam ad ſacr. conficiendum utiq; ſufficit virtualis intentio propriè dicta, nam hæc adhuc eſt actio humana, & libera, & non tantùm in cauſa; non tamen ſufficit intentio interpretativa, qualis cenſetur illa, quę manet in ebrietate; quod manifeſtè deducitur ex ipſa inſtantia facta de Sacerdote conſecrante, licèt enim non ſit actualis intentio in conſecratione, adhuc tamen conſecratio tenet, ſi intentio conſecrandi præceſſit, eo quòd aliis mediis actionibus, quę ex illa expreſſa intentione pręcedente oriuntur, virtute cōtinuatur, quod planè de ebrietate affirmari nequit, non enim per actiones in eo ſtatu cōtingentes dici poteſt continuari illa præcedens intentio, quam habuit ebrius de matrimonio cōtrahendo, ſicut per actiones, quę fiūt à Sacerdote in altari, dicitur continuari præcedens intentio, quam habuit conſecrandi, etiamſi in actuali conſecratione ſit aliqua alia cogitatione diſtractus, & ad matrimonii valorē gratis concedimus, talem intentionem virtualem ſufficere, tàm ſub ratione cōtractus, quàm ſacram. non tamen intentionem interpretativam, qualis duntaxat in ebrietate remanere poteſt, quę licèt ſufficiens eſſe poſſit ad merendum, & demerendum, ac etiam ſacram. ſuſcipiendum, non tamen ad illud conficiendum, ut *l.c.* declaratum eſt.

120 Major difficultas eſt de libertate civili, ſeù à coactione, an ſcilicet, hæc etiam ad validitatem matrimonii ſit neceſſaria, itaut conſenſus ad illud requiſitus debeat eſſe, non tantùm phyſicè, ſed etiam civiliter liber, & minimè coactus; Pro cujus deciſione de duplici metu diſtingui ſolet, gravi, & levi; gravis eſt, qui cadit in conſtantem virum, levis eſt, qui non cadit, iſle eſt, quē vir conſtans, & fortis prudēter, & rationabiliter cōcipit, è contrà verò metus levis non cadens in conſtantem virum eſt ille, quem concipit vir exili, & puſillo animo, vel etiā fortis imprudenter, & irrationabiliter; undè Scot. *q.cit.a.*1. duas conditiones aſſignat metus cadentis in cōſtantem virum; prima eſt, quòd malum ſit grave, & quòd ſecundum rectam rationem à viro forti, & conſtante eligi non poſſit, & hæc gravitas attendi debet ex natura mali in ſe, ut patet in exemplis, quæ Doctor adducit de morte, carcere, captivitate, enormi ſtupro, & ſimilibus, non autem ex vana, & non fundata æſtimatione patientis, aut metuentis; altera conditio eſt, ut illa mala certò immineant, hoc eſt, ſecundum prudentem, & fundatam æſtimationem, quæ ſufficit ad electionem rectam in actibus humanis: quod ſi conditiones illæ non concurrant ſimul, metus non cenſebitur gravis, ſed levis. Rurſus advertendum eſt, gravem metum dupliciter incurri poſſe, vel incuti, vel injuſtè, ut cùm Tyrannus mortem minatur alicui, niſi adoret Idola, vel juſtè, ut cùm Princeps minatur ſubdito mortem, ſi rebellionem tenet: hiſque omnibus modis poteſt quis induci ad matrimonium contrahendum, quæ omnia exactè declarat Almainus noſter 4.*d.*19.*q.un.*

121 Hoc prænotato inquit Doct. *loc.cit.* ad valorem matrimonii requiri conſenſum ita liberū, & voluntarium, ut non ſit metu gravi injuſtè incuſſo extortus, & alioquin, etiāſi in mente talis conſenſus adhibeatur, matrimonium eſſe ipſo facto nullum, & irritū in utroque foro, ſcil. conſcientiæ, & externo; Et hæc eſt communis Theogorum, Juriſtarum, & Moralium ſententia, quam docuerunt D.Th. Scotus, D.Bonav. Riccar. Durand. Palud. & veteres alii Scholaſtici, & ſequuntur paſſim Recentiores; Eſtque expreſſa in Jure *c. Cùm locum, & c. Vehemens eod. tit. de Sponſalibus, & c. Significavit*, in quibus locis apertè deducitur, ut Doctor advertit, matrimonium contractum ex metu cadente in coſtantem virum eſſe ipſo facto nullū, & irritum in utroque foro, & non ſolùm ſenſus eſt, quando deeſt conſenſus internus, ſed etiam quando adeſt, ſed ipſo metu extortus. Hoc idem probat Doctor ratione, primò à cauſa formali, quia iſte contractus eſt datio, & licèt non ſit liberalis, quia dat, ut detur ſibi æquale, eſt tamen libera datio, quia contrà dationis rationem eſt, quòd non ſit libera. Deindè à cauſa efficiente contractus, & inſtituente, qui eſt Deus qui talem formam tribuit contractui matrimonii, ut deducit ex Geneſ. 2. & 24. & fuit etiam talis forma ejus in lege naturæ. Tandem probat ex parte finis, quæ eſt proles procreanda, quia ad educationem prolis hoc erat neceſſarium, & competit, iſtam dationem eſſe ſimpliciter liberam, nam ut habet 20.*q.*3. *quòd quis non diligit facilè contemnit.* Quarè tenet Doctor, tale matrimonium ex metu gravi contractum non tantùm jure Eccleſiaſtico eſſe nullum, & irritum, ut putant Sanchez, Layman, Hurtadus, Bonacina, & alii Recentiores, ſed etiam jure divino naturali, ut etiam latè defendit Ponce de impedimentis matrimonii *c.*31. plures alios adducens, de quo infrà *a.*3.

122 Hic autem advertendū eſt, duplicem eſſe metum, gravē, aliū intrinſecū, qui nempè provenit à cauſa intrinſeca, ut ſi oriatur ex remorſu cōſcientia, vel metu gehennę; aliū extrinſecum, qui ſcil. provenit à cauſa extrīſeca, ut ab homine privato, vel à Judice; Quādo hic dicimus, matrim. ex metu gravi cōtractum ipſo facto nullū eſſe, & irritum, ſermo eſt de metu à cauſa extrinſeca proveniente, quia ſi ab intrinſeco proveniat, certū eſt non irritare matrim. quia ſpontè fit, & totū eſt ab intrinſeco abſq; ulla vi: debet ergo intelligi de metu gravi à cauſa extrinſeca proveniente, ac etiam injuſtè incuſſo, ut ſi quē velit aliquis interficere, aut infamare, niſi in matrim. conſentiat, nam ſi juſtè ſit incuſſus, ut cùm Epiſcopus excommunicationē minatur Petro, niſi Mariam ducat, cùm quia ſponſalia cōtraxit, vel Judex cogit illum ad ducēdā Virginē, quam violavit, hoc inquam, pacto ad extorquendum cōſenſum juſtè incuſſus matrimonium non irritat, quia hoc modo cogitur ad id, quod ipſe contrahens facere tenebatur, qua ratione metus potiùs videtur eſſe ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco, quia ipſemet dedit juſtam cauſam iſtius metus incutiendi. Demùm quia etiam metus injuſtè incuſſus adhuc dupliciter incuti poteſt, vel directè in finem extorquendi cōſenſum, vel nō directè in eum finem, ſed in alium, cui conjungitur per accidens conſenſus in matrim. ſolùm primo modo, vel in primo caſu intelligendum eſt matrim. contractum ex gravi metu injuſtè incuſſo eſſe nullum, & irritum, non autem in ſecundo caſu; Undè ſi quis comminetur alteri malum, quod juſtè infligere non poteſt, non tamen comminetur ad hunc finē, & effectum, ut compellat matrimonium contrahere, ſed ex odio, vel vindicta; alter autem ſperet, ſe offerendo ad matrim. malum ſibi comminatum, evadere, & ideò ad matrimonium ſe offerat, ut ſi Pater puellæ velit occidere juvenem cum illa in fragranti deprehenſum, & ipſe ſe offerat ducere aggreſſoris filiam, putans hoc modo placare iram illius, & mortem evadere; hic metus, inquam, valorem matrimonii non impediret; quia non diceretur injuſtè incuſſus in ſenſu à nobis intento, injuſtitia ſcilicet tendente ad extorquendum conſenſum, quamvis interveniat in tali aggreſſione alia injuria, & induſtria, ſcil. contrà vitam proximi, ſed potiùs talis timor ad alium modum timoris ſpectabit ſpontè aſſumptum, & hic eſt communis dicendi modus apud Theologo, & Juriſtas; qui etiam advertunt, & conſentit Scotus 4.*d. ſt.*29.*a.*2.*ad* 3. metum gravem, & cadentem in virū conſtantem, ac proindè ſufficientem ad reddendum irritum matrimonium eſſe, non ſolùm quando timetur malum in propria perſona, ſed etiam in quibuſdam aliis conjunctis, utpotè ſi incutiens metum comminetur mortem filiis, aut parentibus, vel fratribus; ac præthereà aliis etiam conſanguineis ſaltem uſque ad quartum gradum. & aliqui etiam extendunt ad amicos.

123 Sed dubium eſt apud Doctores de metu reverentiali, quando v.g puella jubenti Patri, ut cum tali viro nubat, contradicere non eſt auſa, an ſcilicet, metus ille debeat cenſeri gravis, atq; ſufficiens eſt matrimonium irritandum; Nonnulli juriſtæ ſignificarunt, metum reverentialem ſufficere ad irritandum matrimonium, alioſque contractus, itaut conſenſus ab aliquo præſtitus ex reverentia erga majores non valeat ex defectu libertatis ad matrimonium requiſitæ, & ſequuntur Navarrus, & quidam alii, quos citat Layman *par.*2. de ſacramento matrimonii *c.* 5. Meliùs tamen alii docent, ſolam reverentiam erga Majores, ſivè metum reverentialem, non ſufficere ad reddendum irritum matrimonium, niſi accedente rationabili timore gravis mali; ita Sotus, Henriquez, Leſſius, Coninchius, Lopez, Sanchez, Averſa, Abellius, & alii Morales dicentes, metum illum reverentialem tunc ſolummodò cenſeri gravem, ac proindè validitati matrimonii contrarium, quando voluntati, & imperio Patris, aut alterius ſuperioris conjunctæ ſunt minæ graves, aut aliqua ſævitia, idemque dicendum, ſi timeatur gravis, & diù duratura indignatio Patris. Neque dicas, metum reverentialem ſe ſolo ſufficere ad annullandam profeſſionem, ut plures docent Doctores, atque ideò etiam eſſe ſufficientem ad annullandum matrimonium; cùm tàm ad profeſſionem, quàm ad matrimonium, liber requiratur conſenſus, eo quòd agatur de electione ſtatus. Nam longè probabilior eſt opinio contraria aſſerens, dictum metum reverentialem ſe ſolo non ſufficere ad reddendam invalidam profeſſionem, niſi pariter adſint minæ, vel ſævitia conjunctæ modo jam explicato, alioquin profeſſio adhuc valida erit, ut colligitur ex *c. Puellæ* 20.*q.*1. ubi textus ad annullandam puellæ profeſſionem non ſolùm Patris imperium ponderat, ſed etiam coactionem, ita Sanchez *l.*4.*d.*6. Stephanus à S.Gregorio *l.*3. de matrimonio, qui plures alios citant.

124 Poſtremò dubium eſt, an blanditiæ, ac etiam preces importunæ poſſint afferre metum cadentem in coſtantem virum, atque ita matrimonium annullare. Negant Juriſtæ nonnulli, etiamſi dictę preces adhibeantur à Superiores, ubi ſimul conjungitur reverentia, quæ illi debetur, ac defertur, ſufficere ad incutiendum metum gravem, ſeù cadentem in conſtantem virum, ita Abbas *c. Cùm inter de elect. n.*8. ubi ait, pręces inſtantiſſimas Principum metum non inducere ad reſcindendum actum, niſi ſevitias ſoleant in ſibi nō obtemperantes exequi; ſic etiam diſcurrunt Henriquez, Lopez, Ledeſma, Averſa, & alii dicentes ſolas pręces, & blan-

ditias, quamvis importunis, non ſufficere ad reddendum irritum matrimonium, niſi tamen adjungatur metus alterius damni, aut indignationis, qui quidem metus facilè adjungetur in repollendis præcibus Principis, aut ſuperioris, cujus gratia, & benevolentia ſubditus indigat. Fundamentum eſt, quia ſola præcum importunitas, & frequentia, & ſola blanditiarum ſuavitas, non debet tantam vim viro conſtanti inferre & hæc moleſtia non eſt tàm magna, ut quis ad ſe liberandum ab ea debeat prudenter facere rem tam magnam, ſicut eſt contrahere matrimonium ſibi alioquin ingratum, ſed ad ſummum hæc importunitas comparabitur metui levi, qui non ſufficit ad matrimonium irritandum.

125 Affirmant alii Juriſtę, dictas præces importunas cum metu reverentiali junctas ſufficienter poſſe incutere timorem in virū cōſtantem cadentē, quod probant ex *cap. Petitio* de jurejurādo, ubi dicitur juramentū, quod Antiochenus Princeps extorſit; non eſſe ſervandū, & rationem reddunt Inn. Hoſt. Jo. Andreas, & alii quia præcibus importunis extorſit & in propriis terminis profeſſionis, & matrim. docet annullari per dictas pręces importunas cum metu reverentiali Covar. 4. *decretal.*2.*p.c.*3. & alii Juriſtæ, quos ſequitur Sanch. *l.*4.*d.*7. explicans, per præces importunas debere intelligi inſtantiſſimas, ac ſæpiùs replicatas, & inculcatas; etenim præces Principis dicuntur in jure extorquere, & cogere, ut habetur in *c. cit. Petitio* de Jurejurando, & *c. Cùm inter* de Elect. & hoc idem ſentit Stephanus à S. Greg. *l.c.* cum aliis Recentioribus. Inter has opiniones media via mihi incedendum videtur, & diſtinguendum, quòd vel præces, & blanditiæ adhiberi poſſunt ab æqualibus, aut etiam inferioribus, vel à Superioribus, & majoribus; primo modo quia non ſunt cum metu reverentiali conjunctæ, quantumvis ſint inſtantiſſimæ, & importunæ, certum eſſe debet, ſufficientes non eſſe ad metū inducendum cadentem in virum conſtantem, nec conſequenter ad matrimonium annullandum; at ſecundo modo, cùm metui reverentiali ſint conjunctæ, quando ſunt importunæ, hoc eſt, inſtantiſſimæ, ac ſæpiùs repetitæ, & inculcatæ, ſufficiens mihi vidētur cum ſecunda ſententia ad inducendum metum gravem, & matrimonium irritandum. Nec juvat dicere cum Averſa *q.* 4. *ſect.* 5. non qualcunque Principis præces habere vim coactionis, ſed tantùm, quæ ferunt periculum gravis indignationis. Nam ut ipſe quoq; fatetur ibidem, facillimum eſt tale periculum adeſſe in repellendis præcibus Principum, & Superiorum, qui ob ſupremam eorum auctoritatem ſolis nutibus obediri prætendunt, ut ipſa experientia docet, qua de cauſa ſimpliciter, & abſolutè, & abſque ulla limitatione Principis præces in jure *cap. cit.* conſenſum ſubditorum cogere, & extorquere dicuntur; undè ratio adducta pro prima ſententia locum non habet in præcibus Principum, quando ſunt importunæ, ac ſæpiùs inculcatæ, quia quando ſunt tales, eo ipſo prudēter judicari poſſunt habere periculum annexum gravis indignationis ſuperioris; quòd ſi præces Principis non ſunt tales, in tali caſu ratio adducta valet, & prima ſententia rectè diſcurrit, neque ſecunda contradicit. Et hoc à fortiori de blanditiis aſſerendum eſt, quòd nempè non inducant coactionem matrimonium irritantem, quia ut inquit Doctor *d.*26.*cit. ad* 3.*prm.* in eis eſt multùm de voluntario ſiquidem voluntas frequenter appetitui ſenſitivo concordat, cui nata eſt condelectari.

126 Brancatus noſter *diſp.*19.*ar.*6. ait præces quaſcunque, à quocunque factas, etiamſi ſint importunæ, dummodò non ſint æquivalenter minæ, non inducere coactionem, nec matrimonium irritare, quod ait deduci ex Scoto *loc. cit. ad* 3. quia eadem eſt ratio, ac de blanditiis, & ſubdit, non ſibi placere limitationem illam, quòd quando ſunt conjunctæ cum metu reverentiali, tunc cogunt, nam ſi quodlibet ex his non facit id ſeparatim, neque faciet conjunctim ratio autem, cur non facit ſeparatim, ea eſt, quia non eſt metus cadens in conſtantem per allationem gravis damni, ſed neque conjunctim afferunt grave damnum ut ſupponitur; ergo vana eſt illa limitatio. Hoc tamen gratis omninò dicitur, falſum enim omninò eſt, eandem eſſe rationem de blanditiis, & præcibus importunis, ſiquidem in eis eſt multùm de voluntario, & voluntas ſuaviter illis trahitur, & allicitur, non ita à præcibus importunis; Et rurſus falſum eſt, illam limitationem eſſe vanam, quòd quando ſunt cum metu reverentiali conjunctæ, facillimum ſit, illis repellēdis periculum adeſſe gravis indignationis Principis, vel Superioris, ac proindè damni gravis; quod metum cadentem in conſtantem virum inducere poſſit; quando enim præces ſunt Principis, & Superioris & ſunt importunæ, ac inſtantiſſimæ, poſſunt dici æquivalenter minæ, quia eo ipſo prudenter judicari poſſunt, habere periculū annexum gravis indignationis, quę damnum grave poteſt afferre rogato ſecundum prudentem æſtimationem, qua ratione in jure præces Principum, & Superiorum cogere, & extorquere dicuntur, & hoc etiam ſuadet commune proverbium ab ipſo Brancato ibi adductū de pręcibus Principū, & gaudium *eſt orare ducum ſpecies violenta jubendi*; Et tandem falſum eſt, quòd ſi præces importunæ, & metus reverentialis non poſſunt gravem metum inducere ſeparatim, nec etiam id facere poſſint conjunctim poſita: nam poſſunt duo conjunctim trahere navim, vel aliud pondus, quod facere non poſſent ſejunctim, & intenſiorem effectum producunt duo gradus caloris ſimul ſūpti, quàm faceret alter ſeparatim, & ſeorſim ſuptus.

Meld. in Quart. Sentent.

127 Ex dictis infertur, metum levem, qui ſatis patet à contrario ex explicatione metus gravis, non ſufficere ad reddendum matrimonium irritum, nec in foro externo, nec in foro interno, ut putavit Navarrus in Summa *cap.* 22. contrà communem aliorum opinionem; Fundamentum eſt, quia in Jure non irritatur, niſi matrimonium contractum metu gravi, & cadente in coſtantem virum, nam metum levem jura æſtimare non ſolent, ut patet *L. Nec timorem* ff. eo, quod metus cauſa &c. & *cap. Cùm dilectus*, de his, quæ vi &c. tùm quia alii contractus ex ſimili metu irritari non ſolent, ut patet de profeſſione religioſa; & ratio à priori eſt, quia licèt metus etiam levis aliqualiter rationem voluntarii minuat in conſenſu, rationem tamen perfectam voluntarii non minuit. Et aſſerendū eſt id verificari non tantùm in foro externo, ſed etiā in interno, quamvis etiam ex diſpoſitione timentis ille metus ſit ipſi gravis ex cauſa in reipſa levi; & ratio eſt, quia hic metus irritans matrimonium debet eſſe ex natura cauſæ gravis, & ſecundum rectam rationem, cui cedi debet, ut notat Doctor in explicatione metus gravis ſuperiùs allata, quia de hoc tantùm in Canonibus ſit mentio, Tùm quia in caſibus particularibus, & per accidens ex corruptione, & diſpoſitione particularis perſonæ non eſt providendum in matrimonii præjudicium, alioquin de facto plures dubietates, & ſcrupulorum occaſiones, imò & prætenſiones de nullitate matrimonii orirentur ſiquidem facillimum eſt hujuſmodi metum levem in fęminis præſertim contingere in matrimonio contrahendo. Tùm tādem quia ſi metus levis ſufficeret ad irritādum matrimonium ſaltem in foro interno; dùm quis probaret, in matrimonii contractione talē timorem ſibi incuſſum fuiſſe, deberet Judex in foro externo in ejus favorem pronunciare, matrimonium eſſe irritum, quod ſine magno hujus ſacramenti pręjudicio aſſeri nequit; fatendum ergo eſt, re vera, & in conſcientia tale matrimonium eſſe validum; & hæc eſt ſententia communiter recepta, ut videri poteſt apud Tranc. lib. 4. d. 17. ubi ait, Sanchez pro ea referre pluſquam ſexdecim Theologos.

ARTICULUS SECUNDUS.

Solvuntur Objectiones contrà præmiſſam doctrinam de conſenſu coacto.

128 IN oppoſitum plura afferri poſſunt argumenta probantia, conſenſum etiam gravi metu coactum ad verum matrimonium ſufficere; Primum quia conſenſus ſimpliciter ſufficit ad matrimonium; ergo & conſenſus coactus, conſequentia patet, quoniā voluntas non poteſt ſimpliciter cogi ad velle, & nolle, ſed tantum ſecundum quid, undè ſi vult, ſimpliciter vult, & conſentit; ergo conſenſus etiā coactus eſt ſimpliciter voluntarius, quia procedit ex principio intrinſeco ſingula cognoſcēte, omnis autē talis actus eſt ſimpliciter voluntarius ex 3. Ethic. cap. 1. Confirm. quia contrahens coactè ſecundum quid verba externè proferret, & intrinſecè conſentiret, ut ſupponitur; ergò nihil deeſſet, quin eſſet verus contractus, nam per actum ſimpliciter voluntarium verè poteſt transferri. Tandem quia alii etiam contractus, ut venditio, emptio, locatio &c. etiam ex coactione facti ſunt validi, dummodò habeant juſtum titulum, & à lege non prohibitum, & detur res pro re; ergo idem de matrimonio dicendum; conſequentia patet, nam eatenus illi contractus adhuc ſunt validi, quia eſtò habeant admixtionem involuntarii, adhuc tamen ſunt actus verè humani, & ſimpliciter voluntarii, quia hæc non tollit libertatem, & moralitatem, alioquin negās fidem coram Tyranno ad mortem effugiendam non peccaret, nec talis negatio eſſet ad peccatum imputabilis, quia mixta cum involuntario: ſed talis contractus eſſet quoque matrimonium ex metu factum, quia adhuc eſſet ſimpliciter voluntarium, ergo &c.

128 Reſp. diſtinguendo antecedens, ſi enim intelligatur, cōſenſum ſimpliciter volūtarium ſufficere ad matrimonium, hoc eſt, eſſentialiter, & intrinſecè voluntarium falſum eſt, quia ad cōſenſum conjugalem non ſufficit quodcunque voluntarium, & liberum, ſed requiritur omnimodè liberum; ſi verò per conſenſum ſimpliciter voluntarium intelligatur conſenſus omninò liber, & ſine ulla involuntarii admixtione conditur antecedens, ſed negatus conſequentia, quia ad hunc cōſenſum non ſufficit quodcunque liberum, & voluntarium, ſed debet eſſe abſque ulla involuntarii admixtione. Ad Confirmationem patet per idem, neganda eſt enim conſequentia ab eandem rationem, quamvis enim internè conſentiret, & cum actu externo eſſet conjunctus internus, quia coactè contrahens non vult peccare mentiendo, non conformando ſcilicet verba menti; adhuc tamen non eſſet verus contractus conjugalis, quia ad eum requiritur plena libertas, & conſenſus ſimpliciter voluntarius, & non tantum ſecundū quid, hoc eſt, cum admixtione involūtarii, ut probatum eſt. Ad ultimum negatur conſequentia, quia ad matrimoniū non ſufficit conſenſus utcunque voluntarius, ſed conſenſus plenè voluntarius abſq; admixtione involuntarii: ratio autem diſparitatis eſt, quia alii contractus poſſunt per Principem, vel Judicem reſcindi, ſi contrahentes velint à contractu recedere; quia ſe oneratos ſentiant, aut alia de cauſa, quod in matrimonio fieri nequit,

cum jure divino ſit indiſſolubile; atq; ideo congruum fuit, ut cum tali, & adeò plena libertate inſtituerent, quòd ſi aliquandò conjuges pœnitens de cōtractu, ſibi ipſis imputare debeant, qui ad tales ſpontè ſe redegerunt anguſtias, nullo compellente; Tùm etiam quia alii contractus non exigunt poſt ſe cōditiones mutuæ dilectionis amicabiles, ideòque ad illorum valorem ſufficit voluntarium illud, quo rerum tranſmutato fieri poſſit, nec majorem in contrahentibus exquirunt libertatem, hoc autem ad matrim. nō ſufficit, quod etiā poſtquam initum eſt, exigit in conjugibus nedùm corporū, ſed etiā animorum conjunctionem; Et cùm addebatur, quòd admixtio involuntarii non tollit libertatem, & moralitatem, alioquin negans Chriſtum timore mortis non peccaret mortaliter; atq; ideò etiam conſenſum coactum ad verum matrim. ſufficere. Reſp. in coactione duplex malum poſſe proponi, injuſti ſcil. vel incommodi, primum nunquam debet recipi, ac eligi, quia non cadit in conſtantem virum, qui plus horret peccatum ſaltem mortale, quàm incommoda omnia; alterum verò utique in virum conſtantem cadere poteſt, quia minus malum eſt conſentire in matrimonium, inquantùm poteſt, & conſenſum verbis exprimere, licèt invalidè, quàm pati mortem, carcerem, ſtuprum, & ſimilia in ſe, vel ſuis.

130 Secundò arguitur, quia juramentum, & votum factum ex metu cadente in conſtantem virum valida ſunt jure naturæ, vel divino, item & Baptiſmus ſimili metu receptus, quia baptizatus timore pœnarum ſufficienter conſentit, ita quod verè baptiſmum recipit, & cogendus eſt ad obſervantiam fidei jam ſuſceptæ ex *c. Maiores de baptiſmo. &c.* ergo idem de matrimonio dicendum eſt in propoſito. Conf. quia nihil magis repugnat conſenſui contrahentium, & matrimonii validitati, quàm dolus, & error; ſed hoc non obſtante matrimonium dolo, aut errore contractum quandoque valet, ſcilicet dùm dolus, & error non eſt contrà ſubſtantiam perſonæ, ſed contrà illius accidentia tantùm, ut inferiùs ſuo loco dicetur, ergo multò magis erit validum, & ratum matrimonium etiam per metum gravem contractum. Denique coactio facta per metum aliud non eſt, niſi quædam inductio ad faciendum matrimonium; ergo non impedit validitatem conſenſus. Conſequentia probatur, nam etiam blanditiæ, & preces aliquem inducentes ad matrimonium contrahendum illud non invalidant, ut ſuprà dictum eſt, ergo neque metus, minæ, vel terrores, cùm omnia ſint de genere inductivorum.

131 Reſpondetur negando paritatem de matrimonio, & voto ex una parte, ac de juramento, & baptiſmo ex altera, illa namque proficiſcuntur ex ſola voluntate voventis, & cōtrahentis quantum ad obligationem, & ideò hæc obligatio, & vinculum poſtulat perfectum voluntarium à gravi metu liberum; at juramentum objectivè eſt quædam religioſa interpoſitio divinæ auctoritatis in teſtimonium veritatis, ac proindè non habet ex ſolo conſenſu, & voluntate jurantis obligare, quinimò etiam & principaliùs ex ipſa Dei auctoritate; undè factum eſt, ad hoc ut inferat obligationem, ſufficere voluntarium abſolutè, mixtum involuntario coactionis, ut ſufficit ad peccatum mortale, quod aliter eſt in matrimonio, & voto, quorùm vis obligandi ex ſola contrahentis, & voventis volūtate oritur; Et tandem de Baptiſmo adhuc eſt major diſparitas propter tria, ut notat Doct. *d.29. ad 1. principale*. Primò quia cōditio baptizati ſit melior per obligationem ex baptiſmo ortam, non ſic conditio matrimonio adſtricti. Deindè quia voluntas Superioris, ſcil. Dei ratificat, per talem conſenſum coactum aliquē fieri filium Eccleſiæ, non ſic autem in matrimonio, quòd ſit ligatus vinculo perpetuo. Tandem quia in baptiſmo homo in filiū Dei adoptatur, in adoptatione autem quilibet adoptati cōſenſus ſufficit, imò quādoque nullus, nam carens uſu rationis poteſt adoptari, & baptizari, non ſic autem in matrimonio, Ad Confirmationem negatur quoque paritas de impedimento erroris, & coactionis, dolus enim circa accidentia perſonæ præcisè valorem matrimonii non impedit, dummodò circà ſubſtantiam non verſetur, quia hoc modo non obſtat legitimo cōtrahentis conſenſui, ut inferiùs ſuo loco patebit; at metus gravis, & injurioſus obſtat legitimo matrimonii conſenſu, & perfecto voluntario, quod requirit ob rationes allatas. Ad ult. inquit Doctor in ſolutione ad *3.* principale adhuc majorem apparere diſparitatem, quia in inductione per minas, & terrores multum eſt de involuntario, & parum de voluntario, undè ſi voluntas ſibi dimittatur ſtatim, reſilit ac refugit à conſenſu; è converſò autem in inductione per blanditias multum eſt de voluntario, & parum de involuntario, undè ſi voluntas ſibi dimittatur, forſitan ſubſequeretur illud, ad quòd allecta eſt, quia voluntas frequenter concordat appetitui ſenſitivo, & ideò non ſic involuntaria eſt coactio per blanditias, & præces ſicut illa, quæ fit per terrores, & minas.

132 Tertiò arguitur, quia metus, ſeù malum, quod metuitur, non deſtruit naturam conſenſus, ſeù libertatem, non enim tale damnum, aut metus illius cauſat conſenſum, quia ipſamet voluntas cauſat, ergo &c. Confirmatur, quia hinc ſequeretur, metum etiam juſtè incuſſum ea ratione, & titulo facere nullum matrimonium, cujus oppoſitum docet communis opinio, ut ſuprà dictum eſt; Conſequentia probatur, quia talis metus etiam juſtè incuſſus æquè evertit, & minuit illam perfectam rationem liberi, & voluntarii, ſicut quando eſt injuſtè incuſſus, nam utrobique contrahens præſumitur ab extrinſeco ad conſenſum præſtandum. Demùm conſenſus per metum cadentem in conſtantem virum extortus nunquam dari poteſt in matrimonio, quia conſenſus per metum extortus eſt peccatum mortale in tali contractu, nam qui ita conſentit, facit invalidum matrimonium, ac proindè Sacrilegus eſt; at vir conſtans non eſt, qui peccatur, & ſacrilegium committit, nam vir conſtans, & fortis plus debet abhorrere peccatum quàm mortem ipſam.

133 Reſp. negando conſequentiam, quamvis enim metus gravis, ſeù malum grave, quod timetur, naturam liberi, ut ſic, & ſimpliciter non deſtruat; deſtruit tamen naturam completè, & totaliter liberi, ſeù plenæ libertatis, quam ſuprà diximus ad validitatē matrim. omninò requiri; quia ergo metus gravis damni plenam libertatem minuit, quāvis non omninò deſtruat. & conſenſum reddit mixtum involuntario, ideò matrim. invalidat, & irritat. Ad Conf. negatur conſequentia, quia licèt quoad ſubſtantiam æquè minuatur ratio liberi, & voluntarii per metum juſtè incuſſum, ſicut injuſtè; non tamen quoad modum, nam injuſta coactio, tùm ſit injurioſa, moraliter, & civiliter impedit valorem, & effectum conſenſus, & perfectam voluntarii rationem, qualem ad conjugalem cōtractū requiri diximus ob onera ipſius ſubeunda in perpetuam, & individam vitæ ſocietatem: at juſta coactio abſque injuria facit contrahentem conſentire, ut ipſe alioquin tenebatur, ex quo fit, ut moraliter, & civiliter loquendo ſic ſe habeat coactio, ac ſi prorſus non eſſet, cùm ipſemet coactus juſtam dederit cauſam coactionis, qua propter talis coactio effectum, & valorem conſenſus non impedit, quam daret conſentiens, ſi omninò à metu incuſſo liber eſſet, quod de injuſta coactione dicit nequit: Ad ultimum neganda eſt major, ad probationem dicendum eſt, conſenſum illi non eſſe peccatum, nam ſi conſentiens ſciat, & cogitet ſuum conſenſum ex metu injuſtè incuſſo extortum jure eſſe invalidum, non conſentit tanquam Sacramenti Miniſter, neque cum intentione faciendi contractum, atque ita non peccat: ſi autem id neſciat, aut cogitet, à peccato excuſatur; Sed de hoc videantur Almainus noſter *4. diſt. 19. q. un.* Hurtadus *d.6. diffic.5.* Bonacina *q. 3. punct. 8.* & Tancred. *lib.4. diſt.16.*

134 Quartò objicitur, quia metus damni gravis, & injuſtè incuſſus cogit ſolùm ad verba externa proferenda, non autem ad eliciendum actum conſenſus internum: ergo ſi iſte elicitu, liberè omninò elicitur, & coactè, atque ideò contractum conjugalem invalidare nequit; probatur aſſumptus, qui enim per minas, & terrores alium inducit ad contrahendum, ad aliud non compellit, niſi ad ponendum ea, quibus ipſe percipit matrimonium perfici, at ſola verba externa, vel ſigna æquivalentia percipit, & videt, non autem internum conſenſum; ergo contrahens ad eum cogi non videtur, ac proindè ſi verba proferet, habet quoque verùm conſenſum internum illis correſpondentem; non apparet, quomodo hic ſit invalidus, cùm non ſit coactus.

135 Reſpondeo, quoſdam putaſſe apud Scotum d. 29. ab initio quæſtionis *§. Hic dicitur*, valere matrimonium adhuc tali metu cōtractum, ſi is, cui timor incurritur, re vera conſenſum internum habeat, & tunc ſolùm non valere; quando is profert quidem verba, ſed in mente non habet animum contrahendi, nec habet verum ponſenſum, quia nempè metus ad ſummum cogit verba extrema croferre, non autem ad conſenſum internum eliciendum, quarè conſenſus internus erit plenè liber, atque ideò ad matrimonium re vera ſufficiens; ſed tamen judicio Eccleſiæ, & in foro externo matrimonium tali cenſebitur nullum, quia præſumetur defuiſſe conſenſus internus. Hanc opinionem impugnat ibi Doctor, quia qui cogitur ad aliquid, quod non poteſt eſſe ſine altero, abſque peccato mortali cogitur etiam ad illud alterum; ſed verba externa conſenſum exprimentia in contractu conjugali ſine mortali dici nō poſſunt abſque conſenſu interno correſpondente, quia tale mendacium pernicioſum eſſet, & in re gravi; ergo ſi poteſt cogi ad illa externa verba proferenda, ſic etiam ad eliciendum conſenſum internum cogi poterit, & quia nullus eſt gravior metus, quàm peccati mortalis, & ideò dici non poteſt, quòd ſi cogatur ad illa verba proferenda, non cogatur ad conſenſum eliciendum, quia ne mortaliter peccet, debet verba menti internæ conformare, alioquin mētiretur; quarè ſicut ad vitandum aliquod grave damnum corporale, illa verba externa proferre cogitur; ita ad vitandum mortale peccatum, quod eſt majus quocunque damno corporali, etiam cogi debebit ad internum conſenſum præſtandum, ex qua Scoti doctrina ad argumentum debet abſolutè negari aſſumptum cum ejus probatione.

Dices, hac ratione probari tantùm, quod non poteſt quis verba illa externa cum veritate proferre, niſi internè conſentiat, ſed non probari, quòd ſi ille conſentiat, conſenſus ille ſit coactus; ergo metus non invalidat conſenſum, cùm adhuc ſit liber. Reſpondet Doctor, ea ratione utrumque probari, quia ſicut proferens verba externè ad evitandum grave damnum, dicitur coactè agere, & tamē nullus movet linguam ſuam, ſed à ſe eam movet, ita quia pecca-

tum

tum mortale metuitur, quod à viro forti, & conſtanti maximè timendum eſt, ſi mens externis verbis non correſpondeat, licèt per ſe ipſum id faciat, & non per alium, adhuc conſenſus ille coactus dici debet, & aliter dicendo datur multis, inquit Doctor, occaſio pernicioſè mentiendi.

Inſtabis rurſus, eatenùs Eccleſiam declarare, & facere matrimonium irritum, ſi ex metu gravi ſit contractum, quia præſumit, quòd in tali caſu contrahens internè non conſentiat; ergo ſi conſentit, ceſſat præſumptio, & eſſentialiter talis contractus ſubſiſtit. Reſp. Doctor negando aſſumptum, non enim Eccleſia dicit, matrimonium illud eſſe invalidum ob talem præſumptionem, alioquin cùm eſſe poſſit, ut etiam internè conſentiatur, & ferè ſemper ita ſit ad evitandum mortale peccatum invalidum faceret, quod eſt validum; tùm quia Eccleſia ſemper præſumit pro meliori parte, ut habetur ex cap. Eſtote, de regulis juris, niſi ſit maxima conjectura in oppoſitum; ergo Eccleſia præſumere non debet, quòd talia verba ſine conſenſu proferantur, niſi vehementem habeat conjecturam, quod ille velit peccare mentiendo.

136 Quintò tamen obiicitur contrà id, quod diximus in fine præcedentis articuli, ſcilicet, metum levem non eſſe ſufficientem ad reddendum irritum matrimonium nec in foro externo, nec in foro conſcientiæ: quia etiam metus levis minuit libertatem, qui enim cum eo operatur, ſi non adeſſet, non operaretur, ſic autem operans voluntariè conditionatè operatur, de ratione verò matrimonii eſt plena, & perfecta libertas; ergo ſi gravis metus matrimonium irritat, etiam levis.

Confirmatur, quia tantundem operatur metus levis in homine timido, & inconſtanti, ut in ſimplici, & delicata puella magnum parentibus reverētiam profitente, quantum gravis in homine forti, & coſtanti: ſicut ergo metus, qui in homine fortiori eſt levis, poteſt eſſe gravis in homine imbecilliori; ita quicunque metus levis ſe habebit in homine prorſus timido, & imbecilli. Denique metus levis ita virum inconſtantem neceſſitat, ſicut gravis virum conſtantem; ergo aut uterque dirimet, aut neuter.

137 Reſp. negādo antecedens, ad probationē dicendū, quòd eſtò metus levis dicatur libertatem minuere, tamen dici debet parum minuere, quod pro nihilo reputabitur, neque quilibet metus, quo non exiſtente operatio non fieret, reddit ipſam involūtariam, quia non omne damnum leve eſt metuendum, ſiquidem prudenter pro nihilo haberi deberet, & quando dicitur, de ratione matrimonii eſſe plenam, ac perfectā libertatem, id debet intelligi de libertate non notabiliter, & graviter imminuta, nam ſi parum tantūmodò ſit imminuta: adhuc habebitur pro plena, & perfecta in genere moris.

Ad Confirm. negatur aſſumptum, ſcilicet, tantundem operari metum levem in homine timido, quantum gravem in homine forti, niſi in comparatione hominis timidi evadat gravis, & urgens, quia tunc habet locum regula illa; hic autem loquimur de metu in ſe levi, & in caſu, quo omnibus penſatis, ac etiam comparatione facta ad talem hominem metus ſit, & maneat levis, & tamen eo moveri ſe ſinat, tunc enim non tantumdem operatur, quia tunc non tantumdem impellit, & urget illum libertatem minuendo, ſed potiùs ipſe pro ſua libertate tali metui cedit ſuum præſtando conſenſum, quandò adhuc facilè eum denegare poterat. Ad ultimum negatur conſequentia, quia metus cauſa ſufficiens in re, & ſecundum rectam rationem ſubſiſtere debet, & non tantùm in corrupta apprehenſione, & ad annullādum conſenſum, & contractum matrimonii non ſufficit metus levis; quamvis ex diſpoſitione timentis metus ille ſit ipſi gravis ex cauſa in reipſa levi. Itaque quando dicitur, timorem, qui cadit in virum conſtantem, eſſe ſufficientem ad matrimonium irritandum, non debet id reſtringi ad unam certam regulam, & menſuram, quaſi ſolùm gravis ſit ille timor, qui aptus ſit movere quemcunque virum fortem, & conſtantem, ſed debet amplè intelligi juxtà perſonarum varietatem, ut includat etiam metum cadentem in fœminam conſtantem, in juvenem, aut ſenem conſtantem, ideſt qui aptus ſit concutere conſtantiam proportionatam talium perſonarum; ut enim communiter Doctores advertunt in hujus rei explicatione, & præſertim Averſa q. 4. ſec. 3. facilè contingere poteſt ex diverſitate perſonarum, ut metus, qui non ſit gravis in uno, ſit gravis in alio, ſtante adhuc integra & non corrupta apprehenſione, & qui non eſſet ſufficiens ad labefactandam huius conſtantiam, ſit validus in altero; certè enim evenire poteſt, ut malum, quod non eſſet grave in uno, ſit grave in alio, nam jactura v.g. mille aureorum, quæ divitem non valdè gravaret, opprimeret alium, qui non plus, aut paulò plus haberet, & contumelia, vel infamia, quæ perſonam plebejam, & infirmam non multum gravaret, in perſona nobili, & illuſtri intollerabilis eſſet; cruciatus corporis, qui ſuſtinetur ab uno, non poteſt ab altero ſuſtineri; & rurſus etiam conſiderari poteſt, ut idem periculum, quod alter comminatur, plus urgeat in uno, quàm in altero, ſivè quia unus ſit fortior, & prudentior ad ſibi conſulendum, & providendum, ſivè quia unus magis apprehendit, quàm alter, quo in genere regulariter timidiores ſunt fœminæ, quàm viri, & ſenes, quàm juvenes, & viles, ac puſillamines, quàm nobiles, & ingenui; Quarè non poteſt alia determinata regula tradi, niſi prudens arbitrium ad diſcernendum, quando in una, vel alia perſona cenſeatur metus ita gravis, ut dici debeat ſufficiens ad matrimonium irritandum, quarè gravitas metus non abſolutè ſtatui debet, quaſi in omnibus æqualis debeat, ſed reſpectivè conſiderata qualitate perſonæ, quæ metum patitur, ita Tancr. *l.4. d. 3.* plures alios citans, & Brancatus *diſp.19. a.3. §.6.*

ARTICULUS TERTIUS.

Quo iure nullum ſit Matrimonium metu gravi contractum, & quomodo validari poſſit.

138 QUamvis omnes Theologi in eo conveniat, quòd coactionis impedimentum matrim. contractum dirimat, & invalidet, diſcordant tamen, quo jure ſit inductum, nùm jure naturali, quod rebus convenit ex natura rei pœnès dictamen rationis, nùm divino poſitivo, vel potiùs humano, ſivè civili, ſivè Eccleſiaſtico; In qua controverſia tres ſunt ſententiæ, duæ extremæ, & altera media; Prima tenet, eſſe tantùm irritum jure naturali, non Eccleſiaſtico, ita Covaruvia, Rebellius, Meratius, & alii. Secunda affirmat, eſſe irritum tantùm jure Eccleſiaſtico poſitivo, non autem jure naturali, aut poſitivo divino, ita Molina, Sanchez, Layman, Trancredi, Bonacina, Averſa, Hurtadus, & eſt ſatis communis inter Juriſperitos. Tertia tandem ſententia media affirmat, utroque jure prædictum matrimonium metu gravi contractum irritum, & invalidum eſſe, & ita jam determinavimus art. 1. hujus quæſtionis *n.* 121. cum Scoto *d.29. a.1.* ubi ait, eſſe de jure naturæ, vel ſaltem divino poſitivo, & impedimentū coactionis non eſſe à ſola Eccleſia inductum, ſed à Deo, ab Eccleſia tamen fuiſſe expreſſum, & explicatum, ita etiam D. Thomas, & Bonaventura *4. d.29. q.* 1. Altiſiodorenſis, Turrecremata, Ponce de Impedimentis matrimonii *c.* 31. Caſpenſis *d.5. ſect.3.* & Scotiſtæ paſſim, Baſſolius, Almainus, Hiqu. Brancatus, & alii Recentiores.

139 Probatur autem evidentibus rationibus, quia matrimonium ſecum affert vinculum perpetuum, & humana poteſtate indiſſolubile juxtà illud: *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet.* ergo contrà jus naturam, & inſtitutionem eſt coactio, quæ huic perpetuitati repugnat, nam ſi ſic coactus ab extrinſeco cōtraheret, poteſt petere reſtitutionem in integrum, quæ eſt impoſſibilis. Tùm 2. quia matrim. non dicit tantùm corporum conjunctionem, ſed præcipuè animorum, non enim coitus facit matrim. ſed voluntas ex *c. Beata Maria, & c. Coniugis 27. q.2.* ergò ex natura rei exigitur libera voluntas ab omni injuſta coactione, quæ impediret perpetuam, & individuam animorum, & vitæ ſocietatem, & reciprocum amorem conjugalem, invita enim matrimonia difficiles habent eventus. Tùm 3. quia matrimonium inſtitutum fuit ad procreandam, & educandam prolem, hic enim eſt finis ejus præcipuus; maxima ergo irrogatur injuria divinæ ſapientiæ, & providentiæ, ſi dicatur eam hoc impedimentum matrimonio non aſſignaſſe, & permiſiſſe, coactionem illud non impedire, ſic enim aliquid contrà finem matrimonium ipſo admiſiſſet. Tùm 4. quia ut oſtendit Doctor ex Geneſ. 2. & 24. in ſtatu legis naturæ conſenſus liber, & voluntarius ad contractum matrimonii validum requirebatur; ergo non ab Eccleſia tantùm, ſed etiam jure divino fuit inductum coactionis impedimentum. Tùm tandem quia ſi ſolo jure poſitivo Eccleſiaſtico eſſent irrita hæc matrimonia coacta, & non jure naturali, vel ſaltem poſitivo divino, apud infideles ſaltem modo valerent, qui non ligantur Eccleſiæ legibus, quod eſt falſum, ut conſtat ex eorum legibus, & præcipuè in praxi judæorum patet, talia matrimonia coacta eſſe invalida, ut omninò contrà finem matrim. imò etiam apud fideles in Eccleſia valuiſſent mille retrò annis antè tempora Alexandri Tertii, & Honorii Tertii, qui mille annis à Chriſti nativitate illi capita ediderunt; ex quibus irritatio poſitiva Eccleſiæ colligitur, & deducitur; imò in illis capitibus declarant tantùm Pontifices illi, quo matrimonium metu contractum ſit irritum, at non faciunt irritum, ergo ex ſe antè declarationem erat tale, & ideò ait Doct. loc. cit. hoc non fuiſſe ab Eccleſia determinatum, ſed tantùm expreſſum; quædam verò argumenta, quæ in contrarium adduci ſolent ad probandum nullitatem matrimonii ex jure naturæ non deduci, jam ſoluta fuerunt *ar. præc.*

140 Dices, hinc ſequi, non tantùm metum injuſtè, ſed etiam juſtè illatum annullare matrim. cujus oppoſitum ſuperiùs in 1. art. determinatum eſt, quia ſi libertatem à tali metu gravi exigit matrimonium ex divina inſtitutione, & ex ipſo jure naturæ, ſicut nulla humana poteſtas derogare poteſt libertati matrimonii, ſic etiam nulla lex humana quantumvis juſta poteſt inducere per metum directè, & per ſe ad matrimonium contrahendum.

Reſpondeo, quòd Hiquæus ex noſtris *diſt. 19. qu. un.* in Commentario n. 17. hac ratione convictus putavit, metum etiam juſtè illatum annullare matrimonium, quod ait, etiam plures tenere Caroniſtas. Hoc tamen gratis omninò dicitur, & contrà communem opinionem, nam benè poteſt Judex juſta de cauſa aliquem ad contrahendum compellere in quibuſdam caſibus ſub pœnæ gravis comminatione, & adhuc erit validum matrimonium, & ita ex-

expreſsè habetur Exodi 22. *ſi quis ſeduxerit Virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, habebitque eam uxorem*, & Deuter. c. 22. *ſi invenerit vir puellam virginem, & apprehenſam concubuerit cum ea, & res ad judicium venerit, habebit eam uxorem, nec poterit eam dimittere cunctis diebus vitæ ſuæ*: ergò metus juſtè illatus à Judice ad extorquendum matrim. non irritat illud: Et ratio eſt, quia talis metus his caſibus non eſt cadens in conſtantem virum, ut benè Branc. advertit *d.16.ar.n.129.* quia vir conſtans, & prudens tenetur ſecundum rectam rationem operari, & fugere, quod ſecundum eam eſt ſibi majus inconveniens, ſed majus inconveniens eſt, non exequi, quod lex juſta præcipit in hoc caſu ſtupri, quàm aliud malum, quod ex matrimonio contracto ſequitur, incurrere; ergo ſi hoc eligit, ut illud fugiat, metus non irritat, quia tenetur ſic facere; eadē ratione poteſt etiam quis cogi ad ducendam Virginem in uxorem, cum qua ſponſalia contraxit. Accedit, quòd ut ſuprà dicebamus *a.1.n.122.* metus in his caſibus potiùs videtur eſſe ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco incuſſus, quia ipſemet reus facti per conſenſum voluntarium ſeipſum ligavit ordinatione legis, cui eſt obnoxius, & cauſa metus ab intrinſeco oritur, nempe ex pacto, in quod conſenſit, & quod ex lege talem ordinationem exigit, undè ipſimet juſtam cauſam dedit juſtiùs metus incutiendi; qua etiam ratione dicebamus *art. præc. n. 133.* quòd juſta coactio abſque injuria facit contrahentem conſentire, ut ipſe alioquin tenebatur, undè moraliter loquendo ita ſe habet coactio Judicis in his caſibus, ac ſi prorſus non eſſet, ideòque nullo modo præjudicat libertati matrimonii, etiamſi ſit de jure naturali, & divino; ex qua doctrina patet, adductam inſtantiam non urgere.

141 Et hoc etiam fatetur Hiquæus ipſe, dum inquit, quòd licèt directè, & per ſe nō poſſit lex aliqua humana obligare ad matrimonium per coactionem; tamen per accidens, & ex alia circumſtantia poteſt quis cogi ad matrimonium per legem indirectè, quia poteſt compellere ad implendam promiſſionem, & contractum initum liberè per ſponſalia directè & poteſt inferentem injuriam cogere ad debitam ſatisfactionem, ut ſi Virginem defloravit, ad eam ducendam, vel dotandam, ſi per vim, aut dolum eam ſeduxit, & ſimpliciter ad ducendam illam, quam violavit per vim, quia in his caſibus illa reſtitutio injuriæ paſſæ non eſt congrua, niſi ducatur, & jura decernentia coactionem inferendam nō reſpiciunt directè libertatem matrimonii, ſed culpam per ſe adjunctam violantis contractū, aut inferentis injuriam, & voluntatem ejus, & huic oneri ſe ſubjecit liberè, vel per contractum ſponſalium, vel inducendo damnum, quod reſarciri debet per condignam reſtitutionem, & ſic lex reſpicit directè medium juſtitiæ ſervandæ, indirectè verò, & per accidens matrimonium, ut in eo conſiſtit æqualitas reddenda parti læſæ. Ita diſcurrit Hiquæus loco citato, quo diſcurſu ipſe quoq; fatetur, poſſe aliquam à Judice induci ad contrahendum ſub comminatione gravis pœnæ, ſaltem per accidens, & indirectè, & contractus adhuc erit validus, adeòque in re ipſe quoque nobiſcum convenit, & ſolùm differt in modo loquendi.

142 Advertit tamen Brancatus loco citato, metum etiam juſtè illatum à perſona privata ad extorquendum matrim. irritare illud, undè ſi Pater, tutor, vel alius inveniens conſanguineam cum aliquo rem habentem mortis, mutilationis, vel alterius malis gravis timorem incuteret, ſi eam non duceret, ait tale matrimoniū ex tali metu contractū, quāvis juſtè incuſſo, eſſe nullum, & irritum, quia à perſona privata incutitur, quod probat ex cap. *Veniens*, ubi ſupponitur, matrimonium contractum cum filia cujuſdam, qui juvenem cum ea reperit, eſſe nullum, quia eos coegit contrahere, & tamen tunc metus fuit juſtè incuſſus, quia ob juſtam cauſam injuriæ illatæ, & ita etiam tenent Gloſſ. in illud caput; Covar. Sotus, & quidam alii. Fateor ego quoque, matrimonium ex tali metu contractum eſſe nullum, & invalidum, ſed falſum eſt metum hujuſmodi eſſe juſtè incuſſum, quia in tali aggreſſione intervenit alia injuria, & injuſtitia, ſcilicet contrà vitam proximi, nam timor mortis in eo caſu eſt gravis, & injuſtus, & ei illatus juris ordine non ſervato, & talis fuit metus, ex quo cōtraxit juvenis ille, cujus fit mentio in dicto cap. *Veniens*, ideòq; tale matrimonium ex eo metu contractū ſupponitur ibi fuiſſe irritum, & nullum; Quòd ſi quis inventus cum fęmina à Patre, vel fratre, aut tutore cum ea coactus contrahi ex metu accuſationis incuſſo, validè contrahit, quia talis metus cēſeri debet juſtè illatus, & quamvis incutiatur à perſona privata auctoritatem non habente, incutitur tamen juris ordine ſervato, comminando accuſationem ad Superiorem, & quod fit ex metu juſto, ſivè à perſona privata illato, ſivè à Judice, non tàm dicitur fieri ab extrinſeco, quàm ab ipſo, qui cogitur, cùm ipſe dederit cauſam, ut ſibi licitè, & juſtè coactio poſſit inferri, & planè negari non poteſt, quòd ſi mulier vim paſſa minaretur inferentem accuſare, niſi eam duceret, validè contraheret. Nec valet dicere, talem habere quidem jus, ut alterum accuſet, non autem ut privata auctoritate cogat alium contrahere; Quia etiam privata auctoritate poſſumus ad multa alios cogere, ut patet in eo, qui nolendo reddere pignus, cogit alterum ſibi ſolvere, & ita ſentiunt Coninch. *diſp.28.dub.1.num.15.* Hurtadus *diſp. 6. diffic.3.* qui alios plures citant,

143 Quoad alteram quæſiti partem querunt Doctores; an Matrimonium metu coactum juramento, aut ſequenti conſenſu, vel copula validari poſſit; & quidem eſt communis opinio, matrimonium metu gravi extortum, licèt juramento firmetur, irritum eſſe, & expreſsè habetur in jure cap. 2. De eo qui duxit in matrimoniū, ubi declaratur, non fuiſſe validum matrimoniū quoddam metu cōtractum, & juramento firmatum, & ratio etiam id ſuadet, quia eo ipſo, quòd Eccleſia irritum declaravit matrimonium metu contractum, ſupponitur etiam, declaraſſe irritum tale matrimonium etiā juramento firmatum, quia nempè ſemper conſenſus eſt coactus, & juramentum ipſum eſt coactum, ac vi extortum: Tùm quia ſi tale juramentum validum redderet matrimonium, vanum eſſet remediū ab Eccleſia ſtatutum declarando, & decernendo, tale matrimoniū irritum eſſe, qui enim compellit ad matrimonium, poſſet etiam ad juramentum compellere, & ita mens Eccleſiæ deluſa remaneret; ita Sanchez, Tancred. Hurtadus, Ponce, Corduba, Averſa, Caſpenſis, Stephanus à S. Gregorio, qui alios citant.

Dices, ſaltem juramentum in tali contractu adhibitum habere vim obligandi, ut poſteà qui juravit, debeat remoto metu ratificare, ſeù de novo validè contrahere; quia nimirùm ſic qui à Latrone vi, & metu coactus promiſit, ac juravit dare certam pecuniæ ſummam, manet obligatus in conſcientia: Et qui in contractu uſurario juravit ſolvere uſuras, licet contractus ſit nullus, tamen ratione juramenti tenetur ſolvere.

144 Reſp. quòd quamvis aliqui Juriſtæ, & Summiſtæ id concedant apud Averſam q. 4. ſect. 6. quia tamen fatentur, poſſe peti relaxationem talis juramenti, poſſeque ab Epiſcopo concedi, & ſic obligationem ceſſare; dicendum tamen eſt, neque tale juramentum inducere obligationem ratificandi, ſeù iterum contrahendi tale matrimonium, ut reddatur validum, nec alia relaxatione indigere, ut ejus obligatio ſolvatur; & ita docent Theologi jam citati, dicentes, quòd ſi juramentum apponatur matrimonio contracto per verba de præſenti, verbi gratia, juro, me te ducere, juramentum eſſe nullum, ſicut ipſum matrimonium, nec ulla relaxatione indigere; Et ſi etiam contrahatur matrimonium per verba de futuro, & addatur juramentum de non contraveniendo tali matrimonio, tunc niſi poſteà adſit novus conſenſus ſpontaneus, dicunt etiā, matrimonium fore ſimiliter nullum, nec aliqua indigere juramenti relaxatione; hoc enim perindè eſt, ac ſi tunc nullo modo contraheretur matrimonium de præſenti, ſed ſolùm per modum ſponſalium quis promitteret, & juraret, ſe talem ducere in futurum, & in hoc etiam promiſſum, & juramentum, cùm ſupponatur gravi metu extortum, ipſo facto nullum eſt, & ad nihil obligare videtur ſicut abſolutè ſponſalia tali metu contracta ſunt ſimpliciter ipſo facto nulla, ut ſuo loco dicemus; Et hoc quidem ſatis rationabile videtur, dùm enim Eccleſia ſtatuit, ut matrimonium metu gravi contractum ſit ipſo ipſo facto irritum, conſequens etiam erat, atque conveniens, ut ſi juramentum quoque extorqueretur cum promiſſione ratificandi, vel iterum contrahendi tale matrimonium, hoc etiam juramentum eſſet ipſo facto nullum, & ad nihil obligaret, nullaque proindè relaxatione indigeret. Ad exempla autem adducta promiſſionis juratæ de ſolvendis uſuris, & pecunia Latroni danda, vel etiam talia juramenta ſunt irrita, & ad nihil obligant promittentem; vel quicquid ſit de hoc, ſpecialis eſt ratio, ac juris diſpoſitio de matrimonio, ſeù ſponſalibus, ut promiſſio jurata de ratificando, ſeù contrahendo matrimonio ſit ipſo facto invalida, dùm eſt metu extorta: nam juramentum ſortitur naturam contractus, vel actus, cui apponitur, & cùm contractus matrimonii debeat eſſe omninò liber, tale etiam ſupponitur eſſe debere juramentum ei appoſitum; Cùmque matrimonium non valeat, niſi plena libertate contrahatur ex ſpeciali ejus inſtitutione, in hoc ipſo quædam apparet repugnantia, ut quis metu jurare cogatur, ſe ex plena libertate contracturum matrimonium, & tali juramento obligatus maneat reipſa contrahere. Et hæc eſt mens expreſſa Doctoris d. 29. cit. ab initio quæſtionis, ubi ait, quòd *matrimonium contractum per metum non tenet, nec obligatus eſt, qui hoc facit, & ſi juret*, quam materiam latè proſequitur, & declarat Brancatus noſter diſp. 19. ar. 7.

145 Deindè conveniunt Doctores, matrimonium metu contractum poſſe validari per novum conſenſum ſpontaneum poſteà pręſtitum, ſed non conveniunt in modo declarandi, Quamplures dicunt, ad faciēdum validum matrimonium, quod re vera eſt invalidum defectu conſenſus interni, vel ratione gravis metus, ſufficere ſi conſenſus de novo pręſtetur ab eo, qui conſenſerat fictè, aut per metum gravem, perſeverante adhuc altero conjuge in ſuo priori conſenſu; Et ratio eſt, quia ex parte alterius Sponſi adſunt omnia requiſita ad contrahendum matrimonium, & deeſt tantùmodò cōſenſus ejus, qui fictè, vel cum metu conſenſit; ergo accedente novo conſenſu ex parte iſtius validum fit matrimonium, tunc enim adeſt mutuus conſenſus, quo matrimonium perficitur, & nihil aliud deeſt; ita Navarrus, Rodriquez, Herinquez, Coninchius, Sanchez, Averſa, Bonacina, & alii, quorum aliqui addunt, nōn eſſe neceſſarium in hoc caſu aliquo ſigno externo exprimere cōſenſum, qui de novo præſtatur, ſed ſufficere conſenſum internum; nec etiam opus

opus eſſe aliquid dicere alteri coniugi, qui verè conſenſit, nam ex parte ipſius non requiritur novus conſenſus.

146 Sed ſicut hunc dicendi modum non approbavimus in ſuperioribus *q.3. ar.1. nu.86. & 87.* dùm explicavimus, quomodo renovandus ſit matrimonii contractus nullus ex defectu veri conſenſus ita nec in præſenti caſu approbamus, cùm utrobique eadem ratio militet; & dicimus, in utroque caſu neceſſarium eſſe iterati conſenſum utriuſque coniugis, & neceſſarium eſſe, ut exteriùs quoque renovetur, quia expreſſio exterior antiqua exhibita ab eo, qui fictè conſenſit, vel ex metu gravi, non eſt expreſſio ſufficiens conſenſus poſteà eliciti; & tandem in utroque caſu utrumq; coniugem conſcium debere fieri de nullitate Matrimonii, quia alter coniux talis nullitatis ignarus alio modo non poteſt ſufficienter conſentire ad revalidandum matrimonium nullum, quæ omnia ibi latè probata ſunt, & iterum probantur; quia ubi nequit dari ſacramentum, nequit etiam dari Matrimonium, nam in lege Evangelica nequit dari Matrimonium ſine ſacramento; ſed in hoc caſu ſi alter tantùm internè conſentiat abſq; ulla exteriori expreſſione, non poteſt dari ſacramentum, quia forma huius ſacramenti eſt conſenſus utriuſq; mutuus ſigno exteriori expreſſus: & huiuſmodi conſenſus debent eſſe ſimul ſaltem ſimultate morali; Nec reſpondere valet, conſenſū illius, qui verè, & legitimè conſenſit, perſeverare habitualiter, atq; ideò accedente novo conſenſu illius, qui ex metu conſenſit, fieri noviter contractum, & ſacramentum matrim. quia hæc evaſio ibi ſufficienter præcluſa eſt; ergo etiam in hoc caſu renovandus eſt cōſenſus utriuſq; & exteriùs manifeſtandus, ut verum ſacramentum habeatur. & hunc dicendi modum ſequitur etiam ex noſtris Branc. *diſ.19. art.4. n.177.* ubi probabiliùs exiſtimat, ut manifeſtetur novus conſenſus ab eo, qui ex metu ab initio contraxit ad hoc, ut ſacramentum matrimonii habeatur; imò & exigatur ab altero coniuge, ut verè mutuus ſit; & hoc etiam ex profeſſo defendit Hurtadus *diſ.3. diffic.9.* pro quo dicendi modo plures alios adducit iam à nobis relatos loc. cit. ubi etiam rationi Adverſariorum ſatisfactum eſt, negando adeſſe habitualem perſeverantia illius, qui verè, & legitimè conſenſit, quia enim credit, contractum iam eſſe perfectum deſiſtit ab eo conſenſu, ſeù intentione, & voluntate contrahendi, & abſolutè putat, non ampliùs habere ſui corporis dominium; atq; ideò neque poteſtatem illud ampliùs tradendi; quarè ut de novo contractus Matrim. revalidetur, & præſertim in ratione ſacramenti, neceſſarium eſt, utrumque iterum de novo conſentire, ac proindè etiam, quòd uterque de novo exteriùs conſenſum exprimat, quia nullus ipſorum antiqua expreſſione novum expreſſit conſenſum. In quo etiam caſu, quoniam alter coniux iniuriam paſſus per metum iniuſtum conſentit, ac proindè nullum eſt matrimonium ex parte utriuſque dicunt communiter Doctores, poſſe eum, qui ſpontè, & abſque vi conſenſit, à matrimonio reſilire, antequam ille qui invitus contraxit per novuum conſenſum renovet priſtinum matrimonium.

147 Hoc idem tanto magis dicendum eſt, quando matrimonium fuit invalidum defectu conſenſus utriuſque contrahentis, vel propter metum utriq; incuſſum, tunc enim etiam Adverſarii ipſi concedunt, non ſufficere, ut conſenſus internus ab utroque præſtetur, ſed ulteriùs etiam requiri, ut aliquo ſigno externo manifeſtetur, ut Bonacina teſtatur *q.2. punc. prop.1.* & rationem adducit, quia matrimonium invalidè celebratum defectu conſenſus utriuſq; contrahentis fuit omninò irritum, ac ſi non fuiſſet celebratum, ergo de novo eſt celebrandum, ac ſi anteà celebratum non fuiſſet; ſed ſi anteà non fuiſſet celebratum, neceſſarius eſſet mutuus conſenſus utriuſque contrahentis ſigno expreſſus; ergo ad validandum matrimonium invalidum defectu conſenſus utriuſque contrahentis neceſſarius eſt mutuus conſenſus utriuſq; ſigno externo expreſſus; quæ ratio optima eſt, ſed idem probare videtur, etiam quando tantùm ex parte unius defuit verus, & legitimus conſenſus, quia etiam in tali caſu matrimonium ab initio contractum fuit omninò irritum ac ſi non fuiſſet celebratum, quia ad verum matrimonium requiritur mutuus utriuſque coniugis conſenſus, nec ſufficit, unum illorum verè, & legitimè conſenſiſſe; Prętereà in his caſibus non oportet coram Parocho, & teſtibus repetere conſenſum contrahentiū, quando defectus ex parte unius, vel etiam utriuſque fuerit occultus, ut diximus *l.c. q.3. art.1.* in fine, dummodò prius matrimonium quamvis nullum, fuerit coram Parocho, & teſtibus ſemel celebratum, at ſi violentia illata alicui notoria fuiſſet, & in foro externo plenè probari poſſet, tunc ſanè de novo opus eſſet cum tota ea ſolemnitate renovare contractum cum pręſentia Parochi, & teſtium præſertim ubi viget Concil. Triden. obſervantia, quod quidem univerſaliter verum eſt, quandocunque matrimonium ab initio irritum, & nullum ob aliquod impedimentum debeat tali impedimento ſublato convalidari; ſi enim fuit occultum, talis ſolemnitas non eſt neceſſaria, ſi autem eſt notorium, itaut poſſit in foro externo probari, neceſſariò eſt adhibenda, & repetenda.

148 Denique loquendo de copula carnali conveniunt Doctores matrimonium metu gravi contractum, & ſimul eodem metu conſummatum nullum eſſe, & neutiquam ratificari per copulam conſummatam, et docent Sanch. Ponce, Hurtad. Caſpenſis, & alii communiter, qui etiam conveniunt, convalidari per ſequentem copulam effectu coniugali ſpontè habitam, ideſt, animo ſe habendi perpetuò in coniuges, non autem animo fornicario explendi ſcilicet tunc ſuam libidinem abſque intentione perpetui coniugii, & hoc expreſsè habetur in Cap. *Is quis de fide* de Sponſalibus, & ſuadet ipſa ratio, quia hęc eſt expreſſa renovatio conſenſus coniugalis, nō metu, ſed ſpontè facta; advertunt tamen Hurtad. *d.6. diffic.6.* Aver. *q.3. ſeſſ.6.* Branc. noſter *d.19. art.1.* prædicta matrimonia revalidari per ſubſequentem copulam coniugalem ſpontè habitam, non quo. ad veritatem, & reipſa in foro conſcientiæ, ſed tantùm in foro exteriori, & quoad præſumptionem, ut ſcilicet præſumatur conſenſus, quia quoad forum internum ſtatim ac habebit quis debitum conſenſum convaleſcet matrimonium, ſicut è contrà ſi poſt longiſſimam cohabitationem, ac etiam copulam ſubſecutam cum altero coniuge, adhuc non habeat talem conſenſum nunquam matrimonium in foro conſcientiæ convaleſcet. Itaque Eccleſia *c. cit. & cap. Ad id* habet pro valido matrimonium factum ex metu, dummodò copula ſuccedat voluntaria, quia præſumit, quod metum paſſus nolit fornicariè copulari, ſed habeat novum conſenſum per copulam expreſſum; quia copula maritalis gerit vicem externę expreſſionis. Quia tamen copula ſimplex nō eſt ſignum ſufficiens exterius, ſeù expreſſio exterior maritalis conſenſus, ſed tantùm pium & prudens iudicium expreſſionis anteà factæ, ut ait Hurtadus *l.c.* & coitus non facit Matrim. ſed voluntas ex *cap. B.M. & cap. Coniuges* Doctores aliqui dicunt, in præfato caſu copulæ metum paſſum debere manifeſtare novum ſuum conſenſum coniugi. vel antè copulam, vel in ea, quòd ſi ita fiat tunc per eam conſenſus expreſſionem propriè loquendo validatur matrim. anteà nullum, & per copulam quodammodò confirmatur, tanquam per pium, & prudens iudicium expreſſionis anteà factæ, & in hoc ſenſu dicit Eccleſia, Matrimonium metu contractum per ſubſequentem copulam affectu materiali habitam validari; Et hoc etiam mihi magis placet, quia cùm renovari nequeat, & ratificari Matrim. anteà nullum, niſi fiat ſacramentum; magis pium eſt dicere, quòd ſacram. fiat per expreſſionem conſenſus, factam antè copulam, vel in ea, quàm per actum ipſius carnalis concubitus, quia ut ſæpè Iura inculcant, coitus non facit matrimonium, ſed voluntas.

QUÆSTIO QUINTA.

De qualitate Matrimonii ſub conditione contracti.

149 SVpponendum eſt, in quolibet contractu poſſe aliquem ſuū præſtare conſenſum dubliciter, abſolutè ſcilicet, vel conditionatè; tunc abſolutè præſtatur, quando datur abſque ulla conditione, vel limitatione; tunc verò conditionatè, quando datur dependenter à conditione, à cuius exiſtentia valor contractus, aut diſpoſitionis dependet, quia fit dependenter ab illa, & explicatur particula *Si*, vel *dummodo*, ut quando dicitur, Do tibi equum, ſi Pater meus conſenſerit, vel dummodò Pater meus conſentiat; Rurſus ſupponendum eſt, conditiones, quæ contractui matrimonii apponi poſſunt, & cuicunque alii, duplicis eſſe generis; quædam enim dicuntur neceſſariæ contractui, & ipſi quaſi intrinſecæ, ſine quibus contractus validè fieri nequit, & ſunt illæ, quæ licèt non apponerentur, adhuc ſubintelligerentur v.g. Do tibi equum, ſi eſt meus, & in matrimonio contraho tecum, ſi es fęmina, vel mas; Aliæ verò ſunt conditiones non neceſſariæ contractui, & ei quaſi extrinſecæ, ſine quibus contractus poteſt validè fieri; & iſtæ poſſunt eſſe, alia de præſenti, alia de præterito, & alia de futuro; Hæc autem de futuro alia eſt impoſſibilis, quædam verò poſſibilis, & hæc rurſus duplex alia neceſſaria, quæ ſcilicet neceſſariò evenit, & non poteſt non evenire, alia contingens, quæ poteſt evenire, vel non evenire; Et hæc rurſus alia eſt turpis & inhoneſta, alia honeſta, & licita; Et tandem ex turpibus, & aliæ ſunt contrà intrinſecam matrimonii ſubſtantiam, vel aliquam eius inſeparabilem proprietatem, aliæ verò non, & de omnibus his eſt difficultas, an matrimonium invalident.

ARTICULUS PRIMUS.

Quęnam conditiones matrimonium invalident, & quę non.

150 PRimò Dicendum, matrimonium contractum ſub conditione de præſenti, aut præterito ſtatim abſolutè valere, aut eſſe omninò nullum, valere quidem abſolutè, ſi conditio exiſtat & eſſe omninò nullum, ſi non exiſtat, undè ſi conditio appoſita à contrahente eſt de præterito, aut de præſenti, ſi non ſit illicita, aut contra ſubſtantia, vel proprietatem aliquam inſeparabilem matrimonii, quæcunque illa ſit conſenſus ſub ea conditione valet, & eſt ratum matrimonium, ſi verè, & realiter extitit, vel exiſtit conditio invalidus autem eſt conſenſus, & matrimonium irritum, ſi verè, & realiter conditio non extitit, nec exiſtit; ut verbi gratia ſi contrahens dicat, contraho tecum, ſi Pater tuus vult, tunc ſi Pater vult, matrimonium ſtatim eſt ratum, ſi verò Pater non vult, matrimonium eſt nullum. Hæc eſt communis Doctorum ſententia; ut teſtantur Sanch. Tancredus, Hurtadus, Caſpenſis, Branc. ex noſtris; & alii paſſim;